Jordan, Henri
Questiones Theognideae

H. IORDANI

QVAESTIONES THEOGNIDEAE

COMMENTATIO EX INDICE LECTIONVM IN REGIA VNIVERSITATE ALBERTINA
PER HIEMEM A. 1885/86 HABENDARVM SEORSVM EXPRESSA

REGIMONTII
A. 1885
PROSTAT IN OFFICINA HARTVNGIANA

PH
4446
J67

LIBRARY
AUG 29 1962
UNIVERSITY OF TORONTO

507837

Acerbo hercle fato Oscarus Crueger nuper his litteris ereptus est, quem spes erat theognideae criseos opus profligaturum esse. nempe egregio is acumine perspexerat solido quod optimi codicis scripturis constructum est fundamento eique soli firmiter insistendum esse: neque vero ignorabat idem eam rationem quae inter iteratorum versuum archetyporumque lectiones intercedit. sed postquam spem illam fortunamque praeter expectationem amisi, vel invitus omissum opus meis ego manibus denuo sustuli et ita quidem sustuli, ut quam operis partem a plerisque iniquo consilio nunc fere contemni viderem, historiam criticam syllogae theognideae eius quam tenemus, eam quam curiosissime possem pertexendam mihi sumerem. — significaveram Hermae ab Huebnero editi tomis XV p. 524 ss. et XVI p. 506 ss. quo tandem hoc quaerendi genere evadendum ese existimarem: nunc quaedam selegi summae rei capita, quibus pertractatis aliquantulum me ad institutum exitum progressurum esse confido.

I Incipio a libri parisini fatis atque indole breviter adumbrandis. is igitur liber unde Parisios adlatus sit, de ea re prorsus desperandum esse nunc mihi constat. nam cum ante hos annos quattuor Alfredum Schoene, qui tum Parisiis degebat, precibus adissem, ut quid rei esset quaerendo ibi adsequeretur, mox edoctus sum in archio bybliothecae illius publicae extare fasciculum schedarum, quibus nomina et origo codicum eorum continerentur, qui 'vers l'an V' ex mutinensi aliisque bybliothecis cisalpinis Parisios asportati essent, verum desiderari in eo tam Theognidis nostri (Suppl. 338) quam Thucydidis (Suppl. 255) aliorumque librorum, quos eo tempore ex Italia allatos esse fama ferebat, memoriam. unde vel casu eam perisse vel extinctam esse consilio tum maxime, cum Vindobonae de reciperanda praeda napoleonica ageretur, liquido apparet. frustra autem fui Florentiae per amicorum operam exquirendo an forte e bybliothecarum earum, quae nuper eo translatae sunt, catalogis rapti ex aliqua earum codicis huius notitia emerserit. scriptus est saeculo decimo codex sine dubio in coenobio aliquo graeco et quidem prorsus eadem litteratura qua exempli causa clarkianus Platonis codex exaratus est. ignoramus autem quo tempore in Italiam allatus sit. quod licet suspicere factum

esse ante saeculum undecimum duodecimumve, quo tempore versibus 1—256, 269—274, 1231—1236 incertum scriptorem graece doctum interpretamenta latina adscripsisse docui Hermae t. XV p. 526 — scilicet prorsus falsum esse Benedictum Hasium, qui ad saeculum decimum quartum eum detruserit — licet veri sit simillimum, tamen cur non possit exeunte demum saeculo decimo quinto eo devenisse una cum magna illa librorum graece scriptorum multitudine, de qua Schoellius dixit eiusdem Hermae tomo XI p. 204, ego equidem non perspicio. — praestat is codex ceteris omnibus non solum servata syllogae theognideae appendice verum etiam insigni lectionum, quas librarius de archetypo optimo fideliter transcripsit, integritate: qua de re nunc breviter disseram. ac primum quidem haec sunt potiora interpolationis codicum praeter parisinum omnium eaque manifesta documenta. et scito de libris parisino (A) et vaticano (B) me de viso testari, ceterorum (z) lectiones — venetum vaticani apographum me abiecisse consentaneum est — nunc quidem ex apparatu editionis Bekkeri alterius depromere. 'sic' adscriptum errores parisini in accentus spiritusque notis omissis permutatisque notat, ut specimine aliquo vel de his libri optimi vitiis constet.

104 A: *οὔτε κεν ἐσθλὸν ἔχων τοῦ μεγαδούναι θέλοι*
B: *μεγάλου δοῦναι θέλει*
z: *μέγα δοῦν' ἐθέλει*

ostendi Herm. XV p. 527 versionis demum latinae scriptorem in A correxisse *μεταδούναι*. palmari coniectura Buttmannus restituit ex parte interpretem secutus *τοῦ μεταδοῦν ἐθέλοι*. v. Gramm. gr. 1^2. 127. *ἀποδοῦν* ex Hesychio Nauckius, alii alia ascivere: v. Curtius Verbi graeci 2^2, 120 s.

122 s. A: *ει δε* (sic) *φίλον νόος ἀνδρὸς ἐνὶ στήθεσσι λελήθῃ*
ψυδρὸς ἐών . . . . . .
B: *ψευδοὺς ἐὼν*
z: *ψυδνὸς* vel *ψεδνὸς*

confirmat parisini lectionem Clemens, apud quem *ψυχρὸς* liber Florentinus: confecit rem Cruegerus (nam de Clemente ceteri fallunt) p. 72.

171 A: *θεοῖς εἶχον θεοῖσιν ἐτι κράτος οἵτοι ἄτερ θεῶν*
B: *οἷς ἔστι κράτος οἵτι*
z: *οἷς ἐστι μέγα κράτος οὔτι*

in A accentus super ultimam vocabuli *ἐτὶ* erasus. Bekkerus *θεοῖσιν γὰρ ἐτι κράτος*, Bergkius *θεοῖς ἔστιν ἐτι κράτος*, recte puto.

150 A: *Κύρν' ἀρετῆς δ' ὀλιγοις* (sic) *ἀνδράσι μοῖρ' ἕπεται*
Bz: *ἡ δ' ἀρετὴ ὀλίγοις ἀνδράσι Κύρν' ἕπεται*

foedam interpolationem!

175 A: *ἦν δὴ χρὴ φεύγοντα καὶ ἐς βαθυχήτεα πόντον*
Bz: *μεγαχήτεα*

quod praebent interpolati antiquum esse interpretamentum docent eorum, qui hunc versum afferunt, scriptorum loci, alii a parisini alii ab interpolatorum partibus stantes. sunt qui nunc quoque sibi persuaserint librarium parisini libri vocabulo homerico *μεγακήτης* suopte Marte substituisse illud, quod hoc unico loco invenitur, *βαθυκήτης*. rem confecit Cruegerus p. 13. idem accidit diorthotae in v. 870 instaurando.

187 A: *οὐδὲ γύνῃ κακοῦ ἀνδρὸς ἀναίνεται εἶναι ἄλοχις*
B: *οὐδεμίῃ*
z: *οὐδεμία*

inepta interpolatio ab archetypo male lecto exorsa est.

219 A: *μηδὲν ἄγαν ἄσχαλλε παρασσομένων* (sic) *κολιητέων*
Bz: *κολιτάων*

nota diorthotam ionismi inpatientem.

245 s. A: *οὐδὲ τότ' οὐδὲ θανὼν ἀπολεῖς κλέος, ἀλλὰ μελήσεις*
ἄφθιτον ἀνθρώποις αἰὲν ἔχων ὄνομα
245 B: . . . . . *οὐδέ τε λήσεις*
z: . . . . . *οὐδὲ γε λήσεις*

neminem fugiet coniectura ista infringi concinnitatem ratiocinationis.

299 A: *οὐδείς δη* (sic) *φίλος εἶναι ἑτῖν* (sic) *κακὸν ἄνδρι γένηται*
B: *οὐδὲ θέλει φίλος*
z: vel sic vel *οὐδ' ἐθέλει*

palmari coniectura Sauppius Epist. crit. p. 99 restituit *οὐδείς λῇ φίλος εἶναι.*

309 A: *εν μεν* (sic) *σισσίτοισιν ἀνὴρ κεκτημένος* (sic) *εἶναι*
Bz: *ἴσθι*
323 A: *μὴ τοτ' ἐπὶ σμικρᾶ* (sic) *προφάσει φίλον ἀπολέσσαι*
Bz: *ἀπολέσσῃς*

nota diorthotam syntaxeos ignarum.

481 A: . . . . . *τὰ νήφοσι γίνεται αἰσχρὰ*
B: . . . . . *νήφοισι γίνεται*
z: . . . . . *νήφους' εἴδεται*
627 A: . . . . . *νήφοσιν εἶναι*
Bz: . . . . . *νήφοισ' εἶναι*

nota diorthotam formae genuinae, verum insolentioris, inpatientem.

487 A: *ἦ παρεὼν μὴ κεῖνε· σὺ δ' εγχεε* (sic) *τοῦτο μάταιον*
B: *δ' ἔχε*
z: *δὲ ἔχε*

nota incredibilem diorthotae inscitiam qui indiscretam scripturam *σιδεγχεε* non intellexerit.

543 A: *χρή με παρὰ στάθμην καὶ γνώμονα τηνδε* (sic) *δικάσσαι*
Bz: *γνώμην*
nota diorthotam audacter vocabulum sibi ignotum adulterantem.

663 s. A: *αἶψα μάλ' ετλούτησε* (sic) ὃς (omisso *καὶ*) *πέπαται* (fuit *πέπασται*)
ἐξαπίνης αποτοῦν (sic) *ωλεσε* (sic) *νυκτὶ μιῇ*
B: . . . . . *πεπρχσται* (?)
ἐξαπίνης πάντα ὤλεσε νυκτὶ μιᾷ
z: *ἐξαπίνης πάντ' οὖν ὤλεσε ν. μ.*
de dubia B lectione extremi v. 663 v. Herm. XVI p. 508 s. verum fortasse invenit Hermannus scribendo *ἄλλο τ' οὖν*: interpolatio librorum Bz manifesta est.

711 A: ..... *πάλιν ἦλθε Σίσυφος ἥρως*
B: ..... *πάλιν ἦλθε Σίσυφος γ' ἥρως*
z: ..... *Σίσυφος πάλιν ἦλυθεν ἥρως*
nota diorthotam B homericae formae ignarum. a quo non pendent libri recentiores.

870 A: ..... *ἀνθρώπων δεῖμα χαμαιγενέων*
Bz: *παλαιγενέων*
notum est utroque epitheto homines ornari in hymnis homericis: apparet diorthotam audacter sustulisse illud quippe minus volgare. cf. v. 175.

894 A: *ὡς δὴ κυφελίζων Ζεῦς ὀλέσειε γένος*
Bz: *ὡς κυψελλίζον*
vides diorthotam audacter prosodiam instaurasse rei sententiaeque ignarum. literula una mutata Κυψελιδῶν scribendum esse perspexit Hermannus.

902 A: *οὐδεὶς δ' ἀνθρώπων αἰστὸς ἅπαντα σοφός*
Bz: *αὐτὸς ἅπαντα*
spreta merito interpolatione insulsa Meinekius coniecit *ἔσθ' ὅς*. an *εἰς τύσα πάντα?*

1053 A: *τῶν γὰρ μαινομένων πέτεται θυμός τε νόος τε*
Bz: *μαρναμένων μάχεται*
nota coniecturam impudentem hominis scioli qui proprietatem vocabulorum plane ignoraverit.

sat certa interpolationis documenta me puto e codicum Bz memoria rettulisse. contra per totum Theognidem frustra anquisivi sinceriorum in his quam quas parisinus codex suppeditat lectionum exempla, si exceperis bis terve servatas in his vocabulorum formas genuinas, veluti *ἕνεκα* scriptum v. 62 in B, ubi *οὕνεκα* parisinus, *ἕνεκα* ceteri, v. 356 *οὕτε* scriptum in eodem illo, *εἴτε* servatum in reliquis, vel *γίγνεται* scriptum aliquotiens in B ubi parisinus *γίνεται*, quamquam invicem v. 162 *γίγνεται* debetur parisino, *γίνεται* habet vaticanus. quod genus errores sive commissi sive evitati quam non pertineant ad constituenda codicibus pretia sua piget pluribus persequi. dixeris a libro parisino, qui scriptus est saeculo decimo, originem ducere tam vaticanum quam ceteros omnes: verum rem aliter se habere praeter ambages

docebit versuum in solis aut A aut B aut z omissorum et iteratorum latereulus infra adscriptus:

omittunt solus A versus 985. 986.
soli z^1 (v. infra) versus 937. 938. 1185. 1186.
soli z aliquot versus 305—352. 401—448. 642—689. 729. 730. 877. 878. 1081. 1082.

iterant solus A post v. 332 : 209. 210.
„ „ 1278 : 949. 950. 1101. 1102.
„ „ 1238 : 1151. 1152.
„ „ 1318 : 1107. 1108.
soli A B post v. 1164 : 415—418.
„ „ 1178 : 555. 556.
„ „ 1182 : 367. 368.

solus igitur B versum ne unum quidem omittit, at quos solus omittit A, eis omnino non possumus carere. ne iteravit quidem solus B versum ullum neque plus ter in eundem cum A solo modum iterationi obnoxius est. itaque vaticanum e parisino fluxisse non posse liquido apparet. accedunt quibus haec conclusio mire corroboretur alia, e quibus unum, quippe quo res omnis confecta sit, attulisse satis habeo. recte igitur vaticani librarius pentametrum 408 conclusit his verbis *οὐχ ἀγαθῆς ἔτυχες*: at qui parisinum exaravit oculos ad hexametri insequentis clausulam *κατα θήσαι ἀμείνω* aberrare passus hoc monstrum scripturae substituit *οὐκ ἀγαθῆς εἰαμεινω*. abest hoc quoque sphalma ut eiusdem generis alia a z codicum memoria. — sed de horum quidem librorum propagine tum demum sententiam ferre ausim, cum potiorum lectiones — nam partem eorum fore ut plane abiciam vel Bekkeri apparatus abunde edocet — ipse enotavero. interim suspicor in duas eos stirpes esse dirimendos, a quarum altera, hoc est codicibus Bekkeri BIDEFGHLMN eisque solis, absunt disticha 937 v. 1185 s., a ceteris, hoc est Bekkeri codicibus IOPQR, inter quos recentiora videntur esse apographa — eaque infra z^1 signo notabo —, non item. sed ne in his quidem libris ullum scripturae sincerioris, quae possit ex archetypo fluxisse, vestigium deprehendi, contra haud pauca quae hominis acuti graeceque docti acumini attribueris. veluti quae v. 83 in omnibus z feruntur legi *τοὺς δ' οὐχ εὑρήσεις* e. q. s. ea mihi unice vera videntur esse. verum cum codicis parisini lectionem *τούτους οὐχ εὕροις* comparaveris, quae sunt absona, quaeque ex eodem fonte miro ac paene sollemni stupore vaticani scriptor detersit *τούτους οὔχ εὑρήσεις*, sane dubitaveris an diorthota apographorum recentium exemplari usus sit ad modum vaticani deformato: sed tamen facile intellexeris eum proprio rectoque iudicio labem eius sustulisse. sed ut dixi de his postmodo demum certiore ratione iudicari poterit. quare hoc loco ad eorum grammaticorum placita pluribus excurrere omitto, quibus tertia haec quam vocant librorum manu scriptorum classis non nihil bonae frugis ex archetypo traxisse visa est: quorum errores optimo iure perstrinxit

Zieglerus editionis alterius p. 77 ss. ut nunc res sunt, videor mihi universam librorum manu scriptorum generationem stemmate infra scripto, quod quidem ex parte posse corrigi non nego, ex parte potiore integrum esse contendo, satis dilucide declarare:

archetypon



interpolavit autem archetypi scripturam audacter is qui librum *x* inter nonum duodecimumque saeculum videtur scripsisse eisque interpolationibus accessere in libro *y* coniecturae hominis ut dixi graece docti neque insulsi haud paucae. sed qui scripturas archetypi cum fide repraesentaret unus inventus est scriptor codicis A, a quo solo in textu syllogae nostrae restituendo pendemus. locis admodum paucis, ubi eius librario humani quid accidit, ad exemplar B redeundum est, ac ne in his quidem quicquam proderit apographorum z auctoritas perdubia. attuli supra exemplum eius modi vitiorum a parisini librario commissorum: addo alterum *θιμὲ* scriptum ab eodem nescio quo impetu vecordiae v. 213, ubi recte *Κύρε* non solum vaticanus verum ipse parisinus in iteratione v. 1071.

verbo monendus est lector ne nunc quidem acquiescere larvas illas, quibus imaginem codicis optimi turbari olim ostenderam. nam etiam in postuma Bergkii editione falsa haud pauca de eo testimonia proserpsere partim nova nescio unde partim vetera, quae recidere poterat cui codicem denuo inspiciendi facultas fuit. quae ne communi usui sensim insinuent quam maxime vereor. exempla adscribam duo ab ipso limine operis sublata. versu igitur 29 *πέπνυο* scripserat editor contra codicum auctoritatem, quos omnes Bekkeri silentium *πέπνυσο* exhibere testabatur: at 'nunc' inquit 'compertum est in A legi *πεπνυ* || *σο* littera erasa, quod emendationem plane comprobat'. immo *σ* esse erasam clarissime agnoscimus: quid autem comprobationis antiqua haec nimirum eius qui latina interpretamenta scripsit emendatio bergkianae addat, ignoro. versu 68 iteratur testimonium eiusdem Bekkeri item silentio fallaci procusum in libris *σωζόμενοι* extare, inde autem *σῳζόμενοι* efficiendum esse ut v. 235 *σῳζομένοισι* e scriptura codicum *σωζομένοισι*. at priore loco parisinus habet veterem orthographiam *σωιζόμενοι*, quam clare agnoscimus quamvis inminuto superne *ι* elemento. audio qui quisquiliarum sectatorem conquerantur: ego equidem curabo ut veritatis illud si fas est dicere speculum non infuscetur naevis neotericorum socordia excitatis.

II Iteratorum versuum quae sit critica ratio ne Bergkii quidem postuma *ἔκδοσις* patefecit: sensisse quid rei sit Cruegerum meum supra testatus sum. nec dubito quin nostrum consilium comprobaturi sint si qui libero a tralaticiis nugis animo examinaverint quas infra

paucis enarravi observationes sive illius sive meas. ita autem sentio de discrepantia quae inter scripturas archetyporum et iteratorum versuum recurrit: ne unam quidem iteratorum lectionem praestare lectioni archetyporum. est autem recentium librorum ea condicio, ut in examinandis quas soli exhibeant repetitionibus tempus terere res sit plane inutilis. incipiam a versibus iteratis in AB; deinceps videndum erit de eis quos solus A iteravit. accentuum spirituumque notas non curabo.

AB vv. 415—418: priore loco recte habent

οὐδὲν ὅμοιον ἐμοὶ δύναμαι διζήμενος εὑρεῖν

in iteratione post v. 1164 eosdem perperam *οὔτιν'* substituisse manifestum est. in ceteris memorabilia sunt parisini vitium v. 417 *παρατριβόμενός τε* pro *παρατρίβομαι ὥστε*, vaticani interpolatio v. 418 *νόος* pro *λόγος*.

vv. 555. 556 adscribam integros:

χρὴ τολμᾶν χαλεποῖσιν ἐν ἄλγεσι κείμενον ἄνδρα
πρός τε θεῶν αἰτεῖν ἔκλυσιν ἀθανάτων

ita recte priore loco AB, in iteratione post v. 1178 eidem hexametrum sic immutarunt:

τολμᾶν χρὴ χαλεποῖσιν ἐν (ἐπ' B) ἄλγεσιν ἦτορ (ἧπαρ B) ἔχοντα

adiciam statim quos simili ratione diorthota turpavit

vv. 367. 368 quorum priorem adscribam integrum:

οὐ δύναμαι γνῶναι νόον ἀστῶν ὅντιν ἔχουσιν

ita recte priore loco AB, in iteratione post v. 1178 eidem eum sic immutarunt:

ἀστῶν δ' οὐ δύναμαι γνῶναι νόον ὅντιν ἔχουσιν

atque traiectionem quidem vocabulorum utrobique consulto factam et ita factam esse apparet, ut a longe simpliciore positura verborum rhetoricam alterius loci figuram inique deflectere non fuerit quin facile concesserit. praeterea in priori disticho requiro quid sit quod audere iubetur qui in periculis *ἦτορ ἔχῃ*, cuius locutionis non minus sententiam desidero quam exempla. nam quod Bergkius amorgini illa Simonidis

. . . . . *οὐδ' ἐπ' ἄλγεσιν*
κακοῖς ἔχοντες θυμὸν αἰκιζοίμεθα

his theognideis inlustravit p. 445, 'ubi optimi libri' — ita enim ait — '*ἐπ'* (*ἐν*) *ἄλγεσιν ἦτορ* (*ἧπαρ*) *ἔχοντα* exhibent', vides quo artificio scilicet utriusque codicis testimonia permiscendo lectorem fefellerit. corrupit solito more vaticani librarius sive potius qui codicem, unde is sua habet, exaravit traditam lectionem *ἐν ἄλγεσιν ἦτορ*: at enim nihili est illud *ἐν*. in altero disticho spondiacum vocabulum in sede quarta displicere audio. verum est praeter hunc nostrum in tota sylloga unum eiusce modi hexametrum inveniri eumque perdubium, v. 911, ubi *δύ' εἰσι πρόσθεν ὅδοι πρίν* B, at *τὸ πρὶν* A, unde emendationem peti posse non nego. verum quoniam vel in homericis carminibus talia non inaudita sunt — Iliadis illud A 226 *ἅμα λαῷ θωρηχθῆναι* aliaque technici citant — nullus dubito quin etiam apud Theognidem *νόον ἀστῶν*

ὄντιν ἔχουσιν ferri possit. apage nugas: diorthotae operam probe agnoscimus qui, dum genuinum Theognidem compilat, se ipsum eo elegantiorem praestare gestit.

in A solo iterantur quinque disticha.

vv. 209. 210 sic scribuntur in AB loco priore:

οὐδείς σοι φείγοντι φίλος καὶ πιστὸς ἑταῖρος·
τῆς δὲ φυγῆς ἐστὶν τοῦτ' ἀνηρότερον

nisi quod in pentametro ἐστί legitur, quod correxit qui vaticani libri apographon confecit itemque iterationis auctor in A. at idem hexametri initium et pentametri exitum his inventis foedavit οὐκ ἐστὶ φείγοντι et ἀνηρότατον. de illo tacebo: alterius acumen vide quam inepte archetypae sententiae vim infregerit. an quemquam dixeris posse tam hebeti esse veri sensu, ut cum poeta dixerit fuga ipsa exiliove, inmani hercle infortunio, infidelitatem amicorum longe esse graviorem, eius sententiae vim absolutam augere sibi videatur isto superlativo intruso? at placuit tale artificium Bergkio et placuit contra duplex codicum AB testimonium.

vv. 949. 950. 1101. 1102 iterantur post v. 1278 calami erroribus exiguis vitiati, quos enumerare nihil attinet.

vv. 1107. 1108 iterantur post v. 1318. priore loco pentameter sic scribitur

in A: τοῖς δὲ φίλοις ὁ πόνος δειλὰ παθὼν γενοίμην
in B: τοῖς δὲ φίλοισι πόνος δειλὰ παθὼν γενόμην

at in iteratione sic:

τοῖσι φίλοις δὲ πόνος δειρὰ e. q. s.

vides priore loco codicis A vitium levissculum φίλοις ὁ testimonio alterius exaequari. praeterea non dubito quin ibidem δειλὰ vocabulum recte habeat quoniam hexameter versus sic incipit:

ὤ μοι ἐγὼ δειλός·

consulto repetitur idem vocabulum. variandi pruritu hoc quoque loco interpolator indulsit. denique iterantur

vv. 1151. 1152 post v. 1238 nulla scripturae discrepantia.

apparet discrepantiam iterationum in A sive in AB solis obviarum soli auctoris earum arbitrio eique plane inepto deberi. non plane eadem ratione verum similiter statuendum est de iterationibus eis, quae omnia quotquot innotuere exemplaria invasere. omitto iterationes aut nulla aut sola vitiorum quae inter scribendum irrepsere discrepantia insignes.

vv. 87—90 AB et plurimi z iterant post v. 1082. de loco interpolationis infra dicam. AB (de z tacebo) in iteratione v. 87 scribunt

νόον δ' ἔχε καὶ φρένας ἄλλας

ubi ἄλλῃ uterque loco priore, idque verum. at in sequentibus solus A in iteratione v. 89 ἀλλὰ φίλει pro vero ἤ με φίλει, idem solus v. 90 ἐμφανέως vocabulum vile pro vero ἀμφαδίην substituit.

vv. 97—100 AB et plurimi z iterant post v. 1164. rudi manu AB veris quae sunt v. 97

ἀλλ᾽ εἴη τοιοῦτος ἐμοὶ φίλος ὃς τὸν ἑταῖρον

haec substituunt

τοιοῦτός τοι ἀνὴρ ἔστω φίλος e. q. s.

nisi quod *τοι* omisit B.

vv. 115. 116 in AB omnibusque z post v. 642 repetuntur, immutato hexametro ratione liberiore. nam priore loco sic scribitur:

πολλοί τοι πόσιος καὶ βρώσιός εἰσιν ἑταῖροι

in iteratione sic:

πολλοὶ παρ᾽ χρηῖδι φίλοι γίνονται ἑταῖροι

dubitari posse concedo, utra forma sit archetypa: mihi prioris loci videtur esse simplicior.

vv. 619. 620 AB et aliquot z iterant post v. 1114. pentameter in archetypo codicum AB sic scriptus erat

ἄχρηϊν γὰρ πενίην οὐχ ὑπερεδράμομεν

in iteratione ibidem legebatur quod A^2B^2 repetierunt

ἀρχὴν γὰρ πενίης e. q. s.

quae absona sunt. apparet interpolatorum *ἄχρηϊν* vocabulum non intellexisse. idem initium hexametri corrupit *πολλὰ δ᾽ ἀμηχανίῃσι κυλίνδομαι* scribendo pro sanis *πόλλ᾽ ἐν ἀμηχανίῃσι*.

vv. 853. 854 AB et omnes z, si recte rettulit Bekkerus, iterant post v. 1030. hexameter sic scribitur loco priore

ἥδεα μὲν πρόσθεν, ἀτὰρ πολὺ λύπια δὴ νῦν

ubi *ἡδεά* B, at *ἡδέα* B^2, non *ἡδεῖα* quod 'prorsus certum esse' dixerat Hinckius Annalium philol. a. 1888 p. 335. pro arbitrio clausula in A^2B^2 sic pessum datur: *πολὺ λώιον ἦδη*.

vv. 877. 878 AB et 'omnes' z iterant post v. 1070. priore loco hexametri initium recte sic scribitur in AB *ἦβα μοι φίλε θυμέ*, in B leviculo vitio inquinatus sic *ἦβα οἱ*. at in A^2B^2 substituitur quod volgare est *τέρπεο μοί φίλε θυμέ*.

vv. 1095. 1096 AB et z praeter unum iterant post v. 1160. priore loco in AB praeter minora vitia sic scripti sunt:

σχέτλιεο δὴ νῦν ἄλλον · ἐμοί γε μὲν οἴτις ἀνάγκη
τοῦτ᾽ ἔρδειν. τῶν μοι πρόσθε χάριν εἰθέσω.

substituunt A^2B^2 talia:

ὦ νέοι οἱ νῦν ἄνδρες . . . . . .
ταῦτ᾽ ἔρδειν cetera

nisi quod *ὦ μεοι* A^2, calami vitio: interpolationis indolem facile agnoveris.

seposui ad hunc locum iterationes alias, de quibus paulo copiosius dicam. primum igitur inter versus 1080 et 1083 in AB et in plurimis ut videtur z iterantur disticha quattuor

haec 39. 40 41. 42 87. 88 89. 90, non 93. 94 quod Bekkerus dixerat in solis AB iterari. horum omnium solum quod primo loco commemoravi sedem suam in exemplaribus impressis retinuit = 1081. 1082. cetera non item. supra dixi de immutatione tertii quartique distichi, quae tota interpolatoris arbitrio debetur. nunc de primi secundique iteratione dicam. atque primi quidem pentameter loco priore sic scribitur in AB:

εὐθυντῆρα κακῆς ὕβριος ἡμετέρης

nisi quod B hic quoque non intellecta sententia *ἡμετέρης* substituit. paulo liberius auctor iterationis in transformando hoc versu rem egit, sed tamen ut non prorsus ab ea ratione, quam supra aliquot exemplis inlustravimus recederet. scripsit igitur

ὕβριστὴν χαλεπῆς ἡγεμόνα στάσιος

videor mihi intellegere quam causam habuerit variandi pentametri. ni mirum solum vocabulum quod est *εὐθυντὴρ* rarum illud quidem verum minime suspiciosum — quamquam Aeschyli Supplicibus 687 Herm. coniectura non nimis certa inlatum est — offendit interpolatorem. apparet quam apte dixerit poeta 'malae libidinis nostrae auctorem': quod substituit interpolator 'libidinosum pravi tumultus ducem' longe minus esse simplex et efficax, neminem fugiet.

rursus aliter interpolandi artificium exercuit is qui disticha 57. 58 59. 60 aucta insiticio uno iteravit post v. 1108. atque illa quidem suo loco, ubi eis haudquaquam carere possis, in hunc modum scripta leguntur in AB:

57 *καὶ νῦν εἰσ' ἀγαθοί, Πολυπαΐδη, οἱ δὲ πρὶν ἐσθλοὶ*
νῦν δειλοί. τίς κεν ταῦτ' ἀνέχοιτ' ἐσορῶν;
ἀλλήλους δ' ἀπατῶσιν ἐπ' ἀλλήλοισι γελῶντες
οὔτε κακῶν γνώμας εἰδότες οὔτ' ἀγαθῶν

nisi quod v. 58 *κε ταῦτα* solita neglegentia B. at ubi post v. 1108 iterantur, quo quidem loco nullis vinculis cum vicinis distichis copulantur. inter primum et secundum distichon hoc novum interpolatum est:

τοὺς ἀγαθοὺς μὲν ἀτιμοτέρους κακίους δὲ λαχόντας
τιμῆς; μνησιπέπλου δ' ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἀνήρ.

praeterea prius distichon ita variatur:

Κύρν' οἱ πρόσθ' ἀγαθοὶ νῦν αὖ κακοὶ οἱ δὲ κακοὶ πρὶν
νῦν ἀγαθοὶ e. q. s.

alterum ita, ut in hexametro permutatis structurae membris *ἀπατῶντες — γελῶσιν* scriptum sit, pentametri locutiones leviter sic inflexae legantur:

οὔτ' ἀγαθῶν μνήμην εἰδότες οὔτε κακῶν.

atque hanc quidem variationem imperite effictam esse ad exemplar talium qualia inter theognidea sunt v. 798

τῶν δὲ κακῶν μνήμη γίνεται οὐδεμία

vix negaveris; emendatione qui vocabulis parum propriis mederi instituere — velut *γνώμην*

fuit qui coiceret scribendum — frustra fuere. nam in ceteris quoque nisi fallor poetastri odoramur flosculos, veluti cum in disticho insiticio — quod ut sententia inane ita verbis est languidum officitque plane enthymemati antecedenti — *μνησιτέειν* dicit virum bonum *ἐκ κακοῦ*, quod quid sibi velit ego equidem edoceri velim: nam quod significat verbo tenus, virum bonum mali filiam velle ducere, quid facit ad consummandam illarum vicissitudinum imaginem? itaque qui disticha illa de sua sede sublata emblemateque inflata transtulit in partem ultimam elegorum, magistelli voltum parum dextere dissimulavit.

ex ungue leonem! nam vide quid idem magistellus sectatus sit cum theognidea disticha 213. 214 215. 216 217. 218 disticho item theognideo 877. 878 adfixit, adficta itemque in artius contracta post v. 1071 interpolavit. suo loco illa in hunc modum optime decurrunt:

213 *Κύρνε, φίλους κάτα πάντας ἐπίστρεφε ποίκιλον ἦθος.*
ὀργὴν συμμίσγων ἥντιν' ἕκαστος ἔχει.
ποικίλτου ὀργὴν ἴσχε πολυπλόκου, ὃς ποτὶ πέτρῃ
τῇ προσομιλήσῃ, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.
νῦν μὲν τῇδ' ἐφέπου, τότε δ' ἄλλοῖος χρόα γίνου·
κρέσσων τοι σοφίη γίνεται ἀτροπίης.

ita AB, nisi quod A v. 213 errore, ut e. I extremo dixi, *θυμὲ* pro *κύρνε*, v. 216 *προσομιλήσει* AB, v. 218 B solito interpolationis genere *κρατινὸν* pro *κρέσσων*, quod est in A, at in iteratione praeter leviora — v. 213 scribitur *πρὸς πάντας*, v. 214 *συμμίσγων ὀργὴν οἷος* traiectione vocabulorum sollemni, v. 217 *τοδ'* est in A, *τῷδ'* in B, v. 218 *κρεισσον* in A, quae partim calami lapsui debentur — distichon ultimum sic immutatur:

νῦν μὲν τῷδ' (τοδ' A) ἐφέτου, τοτὲ δ' ἄλλοῖος πέλευ ὀργὴν
κρείσσων τοι σοφίη καὶ μεγάλης ἀρετῆς

quae verba qui scripsit hexametri istius sententiam ad pentametri 214 quo cum omisso disticho 215. 216 confinabat, normam derigebat idemque proprietatem sententiae versus ultimi volgaris placiti condicioni mutabat. tenes hominem in expilando exaequandoque Theognide egregie versatum.

ad hunc usque finem capituli seposui locum eum, qui solus unanimi adhuc omnium editorum consensu ad iterationis normam ab archetypa discrepantem restitui solebat. eum cum integra scripturae discrepantia codicum AB adscripsi, significavi autem litteris A^2 B^2 lectiones versuum iteratorum. sunt autem disticha Theognidis

vv. 441. 442 443. 444 445. 446, quae AB et omnes, si recte testatur Bekkerus, z iterant post v. 1162. ita igitur leguntur in AB A^2 B^2 haec disticha tria cum eo quod eis praecedit:

νήπιος, ὃς τὸν ἐμὸν μὲν ἔχει νόον ἐν φυλακῇσιν,
440 *τὸν δ' αὐτοῦ ἴδιον οὐδὲν ἐπιστρέφεται.*

οὐδείς γὰρ πάντ' ἐστὶ πανόλβιος· ἀλλ' ὁ μὲν ἐσθλὸς
τολμᾷ ἐχων τὸ κακὸν, κοὐκ ἐπίδηλος ὅμως·
δειλὸς δ' οὔτ' ἀγαθοῖσιν ἐπίσταται οὔτε κακοῖσιν
θυμὸν ἔχων μίμνειν. ἀθανάτων δὲ δόσεις
παντοῖαι θνητοῖσιν ἐπέρχονται· ἀλλ' ἐπιτολμᾶν
χρὴ δῶρ' ἀθανάτων, οἷα διδοῦσιν ἔχειν.

γὰρ om. AB 442 *οὐκ* B² | *ἐπίδηλον* A² B² | 440 *τὸν* B | *κιδιον* A, *κίδιον* B | 441 *γὰρ* om. B | 442 *οὐκ* B² | *ἐπίδηλον* A² B² | 443 *οὔτε κακοῖσιν ἐπίσταται οὔτ' ἀγαθοῖσιν* B | 444 *ἔχων μίμνειν* AB, *ὁμῶς μίσγειν* A² B² | *δὲ*] *ιε* A² | 445 *ἐπέρχεται* B² |

traiectionem vocabulorum arbitrariam v. 443 priore loco etiam in omnibus z extare testis est Bekkerus. praeterea vide mihi quam callide auctor iterationis *ἐπίδηλος* nominativum, quem quo pertineret ignorabat, in accusativum mutaverit, scilicet quo appositionis vice antecedenti *τὸ κακὸν* adstrueretur. verum longe gravius est quod editiones omnes ut dixi iterationis discrepantia v. 444 occupavit. hocine loco eoque solo inter tot alios, a quibus pueriles diorthotae conatus arcuimus, archetypae scripturae huius coniecturam anteponemus? hocine loco quem idem versu 442 insulso tentamine corrupit? at enim non minus insulsam esse aio hanc ipsam de qua agimus coniecturam. quid enim? hoc agi poeta praecipit, ut quaecumque divi nobis impertiant, quae sint omnigena, ea nosmet ipsi nostro consilio toleremus: iam inter homines bonos pravosque hoc ait interesse, ut boni vel malum infortuniumve fortiter sustineant, ne laudis quidem illi exanclati laboris cupidi, at pravi — sic certe interpolatori visus est praecepisse — neque bonis neque malis, rebus puto, animum aeque miscere didicerint scilicet bella pravorum hominum demonstratio eaque miro vocabulorum delectu commendata! miscendi notio quo pertineat, plane ignoro: hoc scio poetae bonis illis, qui vel malum fortiter ferant, pravos fuisse obiciendos, qui ne felices quidem successus ferre possint, quippe omni ferendi sustinendive facultate destituti. at hoc ipsum, quod requirimus, dixerat poeta eis verbis, quae libri manu scripti archetypo disticho inseruere:

δειλὸς δ' οὔτ' ἀγαθοῖσιν ἐπίσταται οὔτε κακοῖσιν
θυμὸν ἔχων μίμνειν,

hoc est 'at pravus neque in bonis neque in malis rebus animatus durare didicit'. et vide quam subtili cogitationis concinnitate ei qui *τολμᾷν* etiam adversis rebus didicerit is opponatur qui *μίμνειν* vel secundis nesciat: *οὐ γάρ σφι σταδίη ὑσμίνῃ μίμνε φίλον κῆρ.*

quae cum ita sint magistelli illius auris obtusae ingeniique pinguis eiusdemque indomiti corrigendi quae non cepisset cupidinis tentamina omnia ad inferos relegabimus.

III Vidimus criseos theognideae leges esse longe et simpliciores et severiores quam visae sunt esse eis, qui Bekkeri operam compilarunt: nam praeter paucos locos eosque viliis

leviusculis inquinatos codicem parisinum deprehendimus recuperandae scripturae traditae fontem unicum; praeterea constare docuimus iteratorum versuum discrepantiam ab arbitrio lusuque eius hominis esse repetendam, qui iterandi eos auctor fuit. quodsi memineris actum esse etiam de varietate lectionis ea, quam circa incorruptum illum fontem unicum libertas vel titubatio scriptorum multorum, qui Theognide hoc nostro inde a Platonis tempore usi sunt, accumulavere — gaudeo autem quod sobrii homines iudicii hanc sanam sospitemque messem Cruegero meo non inviderint — firmo certoque gradu altius evadi posse confiteare oportet ad examinandum fundamentum antiquum, in quo haec sylloge a grammaticis classicis constituta est. sed quoniam metam, ad quam properamus, neque in his temporis angustiis neque per iniquam hanc scribendi necessitatem attingere concessum est, paucis significabo quae aliquando iusto argumentorum instrumento amplius persequar.

supra vidimus haud pauca disticha iterari in codicibus omnibus, tria in solis AB, quinque in solo A, at in solo B ne unum quidem. praeterea docuimus auctorem harum iterationum suopte consilio eoque pessimo traditam archetyporum scripturam immutasse, partim solo ductum variandi pruritu, partim quod proprietatem vocabulorum sententiarumque, hebeti ille praeditus sensu sermonisque antiquioris parum gnarus, iusto minus intellexit. eius hominis operam commune codicum omnium archetypon, quod saeculo decimo antiquius fuerit, integram exhibuerit oportet, repraesentavit autem integram is quem solum vidimus cum fide archetypi imaginem expressisse, scriptor libri parisini, paulo imminutam vaticani. sed eiusdem hominis — diorthotam eum magistellumque supra identidem vocavi — manum corruptricem etiam latius vagasse videor mihi animadvertisse. extant in sylloga nostra elegi nonnulli Solonis, extant aliorum poetarum carmina intermixta theognideis. iam a Solonis textu, qualis Stobaei Plutarchique excerptis traditus est, hic noster aliquotiens discrepat. quodsi concesseris scriptorum illorum textum longe praestare theognideo, vix dubitaveris, quin eiusdem hominis nasuti conamini, qui iteratos Theognidis versus infelici eventu variaverit, etiam attentata Solonis verba attribuas. mihi certe videtur — perfungar enim exemplo — discrepantia Theognidis vv. 226—232 585—590 a textu Solonis stobaeano Floril. 9,25 ita optime explicari. nam praeter cetera quis non viderit pentametrum Solonis 74 et quae statim secuntur ita recte scribi apud Stobaeum

κέρδεα τοῖς θνητοῖς ὤπασαν ἀθάνατοι
ἄτη δ' ἐξ αὐνῶν ἀναφαίνεται·

unde Theognidis interpolator haec effecit

χρήματα τοῖς θνητοῖς γίνεται ἀφροσύνη
ἄτη δ' ἐξ αὐτῆς ἀναφαίνεται·

ubi *ἀφροσύνη* quid sibi velit ne intellego quidem. cetera in hoc priore excerpto — volgare *ἀνθρώποισι* substitutum v. 71 genuino *ἀνδράσι κεῖται*, quod Aristotelis gravissimo testimonio fulcitur, *τειρομένοις* v. 76 scriptum, ubi *τισομένην* optime se habet — vix explicatione egent. falso autem nunc quoque testantur editores v. 72 *νόον* scribi apud Theognidem: certe in AB

βίον legitur, quod est apud Solonem. in altero excerpto quid moverit Bergkium ut versus 66 scripturam theognideam hance

τῇ (sic A, *τοῖ* B) *σχήσειν μέλλει πρήγματος ἀρχομένου*

stobaeanae Solonis huic

ἦ μέλλει σχήσειν χρήματος ἀρχομένου

integram praeferret — nam primum vocabulum posse recte apud illum scriptum esse non nego — eius placiti causas ignoro. in eis quae secuntur quis negaverit concinnitati optime consultum his *πᾶσι δέ τοι κίνδυνος ἐν' ἔργμασι — ἀλλ ὁ μὲν εὖ ἔρδειν πειρώμενος — τῷ δε κακῶς ἔρδοντι,* quibus quae substituit Theognis personatus *ἀλλ' ὁ. μ. εὐδοκιμεῖν π. — τῷ δ. κ. ποιεῦντι,* ea variandi cupiditatem sapiunt tolluntque simplicitatem dictionis suavissimam. — ne multa: rursus vestigia premimus hominis eius, qui hanc nostram syllogam elegorum e genuinis Theognidis aliorumque poetarum carminibus consutam suique ingenii fetibus comptam elegantiorum ut aiunt hominum lectioni usuique destinavit. qua tamen diorthosi eum summa imis miscuisse et nil nisi farraginem theognideorum versuum reliquisse, unde sorte ducta pro libito liceat imaginem veri Theognidis ad modum peerklampianae artis poeticae redintegrare, hoc minime concedo: immo integra mansisse poematia sive eclogas dicere malis complura et maxime quidem in parte syllogae priore, quam homines docti dudum intellexere a posteriore parte discrimine insigni discretam esse, spero me alibi certis comprobaturum esse rationibus. nunc coactus subsisto.

Dat. Regimontii d. 18. m. Iunii a. 1885.

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

PA
444ℓ
J67

Jordan, Henri
Quaestiones Theogni-
deae